

cepta ruere semper videantur in deterius; si homines minus probatos ipsa Resp. contineat. Iam negari vix potest, ita passim doceri latinas literas, ut vel obtundi, vel impediri, vel à melioribus studiis avocari nonnunquam ingenia videantur; ac adeo prudentiae non contemendum esse munus, ad istam progredi quæstionem: *quantum intersit reip. juvenes manuduci ad Latinitatem.* Et vero si nostræ curiositati nondum tatisfecit præsens Auctor, dabimus operam ipsi, ut profundum hoc prudentiae politicæ specimen vel præstare vel tentare cæterisq; commendare liceat. Sed ut redeamus ad præsentia, quod Historiam attinet, graviter monetur, ne quis ad confusionem, ne quis ad inutilia propendeat, ne nullis Chronologiae, Geographiae, Genealogiae fundamentis subnixus ad diffusam hanc operam properare sustineat. Id etiam additur *aliter in historiis procedere debere Privatum, alter hominem ministeriis publicis adhibendum, aliter Principes ipsos.* In Eloquentiâ describendâ fluctuare nonnihil videtur. Jam enim *Artem persuadendi* vocat cum effectu h. c. ut *Advocatus vincat causam, Prædicator convertat peccatores, Minister regnet in consiliis:* quod est confundere finem internum cum externo: jam *Talentum naturæ & experientia præfert talento studiorum:* quod est ignorare causas & limites disciplinarum: jam *eloquentia officium statuit verba formare ad veritatem, nullis scrivire affectibus:* quod ab eo forte alienum esse debet, qui nimium audet provocare ad exempla Demosthenis & Ciceronis. Neq; tamen hoc displicet, ad Oratorium plurimum conferre EXEMPLA, tum antiquorum, tum præstantissimorum hujus temporis ministrorum, qui in relationibus & epistolis suis optimam testati fuissent eloquentiam, & EXERCITIA quæ perficiant hominem, ut loqvatur ex tempore, sine hesitatione, sine verborum aut formularum tædiosâ correctione. Quin etiam id subjicit, in hoc errasse multos, quod facundiâ exercere maluerint lingvâ minus nota, quam in vernacula. Subjungit GEOMETRIAM, quam utilissimis hujus mundi studiis annumerat, sive spectemus subsidia, quæ cæteris artibus inde præstantur, sive culturam ingenii, quam in definiendo, dividendo & demonstrando sperare liceat. Plura proferre non est opus. Nam illustriorem enarrandi occasionem nostris relinquentiam oratoribus duximus, quos ut benevolè, hoc est, more superioribus annis introducto libeat audire, per benignitatem superioribus annis probatam rogamus. Faxit DEUS ut Annus hic AMORI consecratus, dum ingressum dedit Nobiliss. STOLLIO amabilem, progressum Inclyto GIRISIO fortunatum, egressum portendit amoribus HARTIGIANIS signandum, non nisi dulces & amabiles annos provocet imposterum: nostræq; ZITTAVIÆ Symbolum esse nunquam definit AMOR.

PP. d. 13. Septembr. M DC LXXXVIII.

